

Prepositus deposuit, interrogatus qualiter premissa scit ita esse dixit et respondit se vidisse et audiuisse quod Episcopi, qui pro tempore fuerunt prefatis Prepositis ruralibus committebant vices suas. Interrogatus si prece, precio, odio, vel amore aliqua dixit, seu deposuit, dixit, quod non, sed ita est, et ita credit sicut dixit et deposuit.

Sequuntur in hanc rem alie depositiones Testium, quorum nomina subscripta sunt. Marcus Canonicus et Sacrista Lincopensis. Joannes Guardianus Fratrum Minorum Lincopie. Petrus Rector Ecclesie de Wreto Diocesis Lincopensis. Carolus Episcopus Lincopensis. Johannes Prior Ordinis Fratrum Predicatorum de Skanigia [o:Skeningia] dicte Diocesis. Nicolaus Rector Ecclesie Wallorscada [o:Wallerstada] dicte Diocesis. Magnus Prepositus de Sondoibo [o:Sunderbo] Diocesis supradicte. Byrgerus Aduocatus de Skanigia [o:Skeningia], item Yuanus, Sangnidius, et Lyrertus dicte Diocesis. Enricus [o:Ericus] Miles Regis, Legifer Smalandie dicte Diocesis. Amundus Mercator de Junicopia dicte Diocesis item quinque alii Mercatores. Joannes Guardianus Fratrum Minorum de Junicopia. Aquinus [o:Haquinus] Prepositus de Ostko [o:østbo]. Thoridus [o:Thorirus] Rector Ecclesie de Friale. Ulfo Prepositus de Jmdugia [o:Niudungia?]. Ugo Rector Ecclesie de Equutio [o:Ekesio?] dicte Diocesis.

2654.

1328 d. 16 Febr.

Sigtuna.

JEDVARD FILIPSSON testamenterar till Predikarebrödernas kloster i Sigtuna, der han väljer sin graf, 40 mark penningar, samt jord, penningar och lösören till kyrkor, kloster m. fl. andliga inrättningar, prester, tjenare och andra enskilda personer; för hvilka legater han pantsätter sin gård på Lidingön.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

N [o:IN] nomine domini amen, Cum inter transitoria nichil sit cercius morte, nichilque hora mortis incercius, Jgitur, ego JADWARDUS PHILIPPUSON, sanus mente, licet corpore debilis, Hanc horam horendam, operibus misericordie preuenire cupiens, ob refrigerium anime mee, testamentum meum condo et ordino, in hunc modum, Jn primis lego fatribus predicatoribus sictunie, vbi mei corporis eligo sepulturam, quatraginta marchas denariorum, ecclesie vpsalensi, V, marchas denar., minoribus ibidem, I, marcham denar., domui sancti spiritus ibidem vnam marcham denar., monasterio dominarum in sko. vnam marcham, ecclesie sancti nicolai stokholmis vnam marcham, minoribus ibidem vnam marcham, clarissis ibidem ad edificium ecclesie duas marchas, ecclesie sancti jacobi ibidem et sacerdoti, vnam marcham dimidiam cui libet, domui sancti spiritus ibidem vnam marcham, Jtem ecclesiis in quibus bona possideo, videlicet solnø, danarø, tæby, vadha, frøsunde et skeptunum,

cuilibet dimidiam marcham denar. et tantum sacerdotibus ibidem, Jtem ad mensam curati in vadhum, quatuor oras terre cum dimidia in villa ridhum, parochia frøsunde, Tali condicione, quod quicumque fuerit super suam animam sit astrictus, ad dicendum semel vigiliis et missam animarum, pro anima mea et parentum meorum, perpetuo singulis septimanis, Jtem dilecto fratri meo fratri petro philippi, lego ,XI, solidos in villa tunum, parochia frøsunde, tali condicione, quod si infra annum a tempore obitus mei, ab heredibus meis redempta(!) non fuerint, extunc cuicumque placuerit, vendendi, et distraendi, liberam habeat facultatem, Jtem karissimo nepoti meo domino gregorio magnusson, dimidiam marcham terre, in villa ostistum, parochia skeptunum, vltra sortem, sibi suisque heredibus possidendam, Jtem sorori mee, domine Helene in sko, decem marchas denar., domicelle margarete ibidem quinque marchas denar., fratri kanuto, quinque marchas denar., Jtem fratri sixtano patri meo spirituali, quinque marchas denar., Jtem puero meo ysaac qui fideliter michi seruiuerat, vnum equm de XX:ti marchis, Jtem erico ioanson XX:ti, marchas denar. Jtem iacobo puero, X, marchas, et vnam tunicam de panno gyenst, Similiter erio(!) niklisson, et brauido, Jtem birgero balaramson, quatuor marchas denar., siue vnum equm de tanto precio, et vnam tunicam de næflist, Ad solucionem igitur testamenti pretaxati, ac debitorum meorum quorumcumque post me inuentorum, testimonio autentico, seu meo proprio sub sigillo, curiam in lýdhingø, cum omnibus attinenciis tam mobilibus quam immobilibus, committo exequutoribus meis ex integro, sine omni diuisione, ut ipsi super predicta bona, plenam habeant potestatem, in omnibus ordinandi, donec omnia tam per me legata, quam debita post me inuenta, integraliter fuerint persoluta, Exequutores autem meos, eligo et insituo, Sororem meam. dominam Ingigerdim, dominum Gregorium magnusson, fratrem meum, fratrem petrum, et benedictum sighurdhason, Quos rogo, ut in omnibus premissis, voluntatem meam faciant, prout coram deo voluerint respondere, In robur autem premissorum, et firmitatem ampliorem, sigilla exequutorum meorum predictorum, et sigilla, heredum meorum omnium, videlicet, domini karuli orestason, domine cristine neptis neptis(!) mee, eskilli andrisson, karuli dansson, karuli magnusson, et iohannis magnusson, vna cum sigillo meo presentibus sunt appensa, Actum et datum, sictunie, presentibus, dominis Gregorio magnusson, karulo orestason militibus, eskillio andrisson, benedicto sighurdason, armigeris, ét fratre bernardo priore, cum fratre sixtano, anno domini M° CCC° vicesimo octauo, feria tertia proxima, ante cineres.

Sigillen: N:o 1, utplånadt fragment; N:o 11, »Jedwardi filii Philippi» (rutig snedbjelke från sköldens öfra, högra hörn); N:o 2—10 borta; remsorna kvar.

2655.

1328 d. 23 Febr.

Linköping.

Biskop CARL i Linköping förklarar, att den tionde af stiftets kyrkotionde, som af påfliga Stolen blifvit anslagen till fullbordande af Linköpings domkyrkas kostbara byggnad, af honom eller hans efterträdare icke skall vidare påyrkas, när en nämnd, bestående af Östergötlands, Tiohärads och Ölands Lagmän, domkyrkans förnämsta Kaniker och flera dertill kallade prester och lekmän, förklarar, att domkyrkans byggnad vore fulländad; så framt icke nämnde Lagmän och andra ädlingar inom stiftet skulle medgifva fortfarandet af nämnda afgift.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Dilectis sibi in christo filiis, omnibus dyocesim suam inhabitantibus,, KAROLUS dei gracia episcopus lyncopensis, paternalem in domino dilectionem et salutem,, Cum olim ecclesie nostre lyncopensi, matri vestre, ad ipsius structure vtique sumptuose consumacionem vltimam et completam, decime decimarum de singulis ecclesiis dyocesis nostre, per sedem apostolicam, cuius est, toto orbe terrarum, decorem domus domini, summopere diligere et augere, misericorditer sint indulte Nos intelligentes, quorundam animos, zelo diuini cultus, minus feruenter accensos, pii huius priuilegii perpetuacionem inaniter formidare,, Volumus et ipsorum instanciis frequentibus annuentes, ad abolendam suspicionem perhennacionis seu perpetuacionis priuilegii supradicti, tenore presencium protestamur, Quod .a. tempore, quo legiferi dyocesis nostre lyncopensis, scilicet osgocie, tiihæradh, et ølandie, qui nunc sunt, aut qui pro tempore fuerint, vna cum canonicis ecclesie nostre pocioribus, ac aliis tam clericis quam lajcis discreciore nostræ dyocesis, qui per episcopum lyncopensem et capitulum suum, necnon et predictos legiferos, ad hoc fuerint specialiter et concorditer deputati, fabricam seu structuram ecclesie prefate, perfectam et omnino completam, jn fide, et conscienciis suis estimauerint, et sine diminucione qualibet, ostenderint consumatam, extunc predicto priuilegio, nec nos. nec successores nostri inniti debemus, nisi de predictorum legiferorum et aliorum nobilium dyocesis nostre, voluntate, beneplacito et consensu,, Jn cuius rei testimonium, sigillum nostrum, vna cum sigillo capituli nostri presentibus est appensum,, Datum lyncopie, anno domini. Millesimo trecentesimo vicesimo octauo, jn crastino cathedre sancti petri.

Sigillen: Af Biskopens fins ett fragment med kontrasigill (secretum); N:o 2 borta, remsan kvar.

2656.

1328 d. 3 Mars.

Ärkebiskop OLOF intygar, att Upsala domkyrkas Syssloman Jordanus för kyrkans räkning mottagit, på 20 år, af Clara kloster i Stockholm en tomt på Norrmalm, mellan allmänna vägen och träsket vid klostret, mot en årlig afgift af ett öre.

Orig. på perg. i K. Riks-Arch.

Vniuersis presentes litteras inspecturis, OLAUUS miseracione diuina Archiepiscopus Vpsalensis, salutem in domino sempiternam. Noueritis quod domi-